

Die 5 Maji

S. ANGELI MART. O.N.

Introitus

Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes sub honore beāti Angeli Mārtyris: de cujus passione gaudent Angeli et collaudant Filium Dei. Allelúja, allelúja.

PS 32:1 Exsultate justi in domino rectos decet collaudatio. Gaudeamus.

Oratio

Plebs tua, Dómine, néati sacerdótis et Mārtyris tui Angeli te glorificatióne sanctíficet: et, eódem semper precánte, te mereátur habére rectórem. Per Dominum.

Offertorium PS. 88, 6 Confitebuntur caeli mirabilia tua Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum, allelúja, allelúja

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine, beāti Angeli Mārtyris tui dicátas méritis, benignus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsídium.

Per Dóminum.

Praefatio I De Sanctis Martyribus

De signo et exemplo martyrii

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens aetérne Deus:
Quóniam beáti mártiris Angeli
pro confessióne nóminis tui,
ad imitatióem Christi,
sanguis effúsus tua mirabília maniféstat,
quibus pérficis in fragilitáte virtútem,
et vires infirmas ad testimónium róboras,
per Christum Dóminum nostrum.

Et ídeo, cum caelórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuae sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt caeli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Communio PS 63, 11 Laetábitur justus in Dómino, et sperábit
in eo et laudabúntur omnes recti corde, allelúja allelúja.

Postcommunio

Refécti participatióne múnneris sacri, quaésumus, Dómine
Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum intercedente
beáto Angelo Mártire tuo, sentiámus efféctum.
Per Dóminum.

